

In

ARTICULOS VISITA-
TORIOS

DISPUTATIO XX.

De

CALVINISTA-
RUM ERRORIBUS
QVOAD INAMISSIBILITA-
TEM FIDEI IN ELECTIS, ET
IMPOSSIBILITATEM CON-
VERSIONIS IN RE-
PROBIS,

AD ARTIC. IV. ANTITHES. III. & IV.

PRÆSIDE

JO. BENEDICTO CARPZOVIO,

D. & P. P.

RESPONDENTE

M. JO. GUILIELMO ZIEROLDO,

Wisenthalio - Misnico.

publicè in Auditorio Theologorum Paulino,
d. XIII. Octobris, A. M DC XCI.

habenda.

*****:*****

LIPSIÆ,

Literis CHRISTIANI SCHOLVINI



Antithesis TERTIA Calvinianorum in Articulo IV. Visitatorio notata est de Inamissibilitate fidei in Electis: Electos & regenitos non posse fidem, & Spiritum sanctum amittere aut damnari, quamvis omnis generis grandia peccata & flagitia committant.

II.

Πρώτον λέγεται est absolutum Electionis decretum, quo fieri dicunt, ut Electis fides non tantum irresistibiliter, sed etiam inamissibiliter conferatur. Indeque eam propriam faciunt Electorum, & non conditionem organicam tanquam rationem impulsivam in divinam προνοίαν spectatam, sed effectum electionis constituunt.

III.

Etsi verò Electi, quatenus Electi, perseverantiâ in fide, ut proprietate gaudent; ea tamen ex fidei non duratione sine ullâ interruptione, sed finalitate æstimanda, adeoque Electi hinc considerantur quatenus regeniti, & quæritur: Ultrum illi, dum carnis desideria perficiunt, fidem & Spiritum S. retineant, an totaliter amittant.

IV.

Posterius Nos affirmamus cum Scripturâ S. cuius cum dicta è V. T. Ezech. XLIX, 24. è N. T. Rom. XI, 20. 2. Pet. II, 20, 21. tum exempla è V. T. Davidis adulterium & homicidium committentis, è N. T. Petri Christum abnegantis, clarissima producimus.

V.

Prins asserunt Calviniani, è quibus Beza: Fidem ipsam veram amittis nego, inquit. Lotbus etiam incestuosus fuit justus. Non fuit David regenerationis Spiritu, quem prorsus amisisset, rursus donatus, sed qui sopitus in ipso jacebat, fuit divinitus ministerio Natbanis excitatus. A quo moderni non recedunt, teste Canone Synodi Dordracenæ: Deus, qui dives est misericordiâ, ex immutabili electionis proposito, Spiritum S. etiam in tristibus lapsibus à suis non prorsus aufert; nec eò usque eos prolabi sinit, ut gratiâ adoptionis ac justificationis statim excidant, &c.

VI.

Urgent (1.) verba Christi ad Petrum: Oravi pro te, ne fides tua deficiat, Luc. XXII, 32. Sed respondemus (α) invertendo, & ex præcatione Christi colligendo possibilitatem defectionis, quæ si non esset, non opus habuisset Christus tam sollicitâ oratione. (β) ostendendo defectionem

nem

it tamen id intercessioni Christi, ne finalis esset.

VII.

Urgent (2.) Orationem Davidis: *Spiritum sanctitatis tuæ ne auferas à me, Psal. LI, 13.* Sed respondemus (α) iterum *invertendo*: Qui tam ardentem Spiritum S. à se non auferri rogat, is amissibilem agnoscit. (β) ostendendo ex ipso contextu, Spiritum S. actu ablatum à Davide fuisse, cum creatio cordis mundi cor penitus immundum præsupponat, quo & (γ) spectat emphatica versio LXX. *μη ἀντανέλης, i. e. ne iterum auferas.*

IIIX.

Urgent (3.) verba *Jude v. 3. de fide semel sanctis traditâ.* Sed respondemus (1.) fidem intelligi non *subjectivam*, seu quæ creditur, sed *objectivam*, seu quæ creditur, & hanc (β.) *semel sanctis traditam* dici, non respectu futuri temporis, quasi semel tradita in posterum nec amitti, nec amissa tradi iterum queat, sed respectu præteriti, quod aliquando, & quidem perfecte sit tradita.

IX.

Urgent (4.) Locum *Rom. XI, 29. Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα.* Sed respondemus, ἀμεταμέλητα dici, ex parte Dei vocantis convertentis, salvantis, quippe qui ad auferenda ista ex se nunquam moveatur. At ἀνακόλυθον est, inde inferre: E. ex parte hominum vocatorum, conversorum, in fide stantium, nulla sunt peccata, quæ vocationem & dona Dei excutere possunt.

X.

Urgent denique alia argumenta; sed tum ex allatis, tum adhibitis distinctionibus aliis, v. g. (1.) inter peccata infirmitatis & regnantia, seu contra conscientiam commissa; (2.) inter fidem historicam & salvificam; (3.) inter presentiam potentia & gratia, facile solvenda.

XI.

Antithesis QUARTA est de impossibilitate conversionis in reprobis: *Eos, qui electi non sunt, necessario damnari, nec posse pervenire ad salutem, etiam si millies baptizarentur, & quotidie ad Eucharistiam accederent, prætereant vitam tam sanctam atque inculpate ducerent, quantum unquam fieri potest.*

XII.

Sic difertè Beza in Colloquio Mompelgartenfi: *Quos Dominus non elegit, etiam si millies baptizarentur externo aqua baptismo; illis tamen nunquam fides aut Spiritus S. donatur, sed justo Dei judicio relictis suam culpam pereunt.*

XIII.

Ἠρώρον ἑὶδδδδ est absolutam reprobationis decretum, in sola Dei ἐὺδοκία quaerendum, non in peccatis hominum, quæ licet sint causa damnationis, non tamen sint causa reprobationis.

XIV.

Sic clarè Wendelinus mentem suorum explicat; *De impulsivâ causâ reprobationis ABSOLUTE* quærere, est quærere, quare Deus ab aeterno decreverit aliquos homines damnare? Ad hanc quæstionem respondetur, decrevisse Deum aliquos damnare propter peccatum, cui obnoxii erant in conspectu ipsius, idq; ad declarandam justitiam suam. De eadem causâ *RESPECTIVE & COMPARATE* quærere, est quærere, cur Deus decreverit hos potius propter peccatum damnare, quàm illos? Hic alia afferrî causa non potest nisi *idoxia* seu beneplacitum Dei. Peccatum pro causa nequit allegari quia in se considerati omnes homines sunt pares quoad peccatum.

XV.

Ex hoc simplici Dei beneplacito necessitatem damnationis, & impossibilitatem conversionis reprobatorum derivant, sic argumentati: Quoscunq; Deus ex absoluto quodam odio gratiâ suâ destituit, aut externâ tantum & inefficaci impertit, incassum adhibitis verbo & sacramentis, pœnitentiâ item, & pœnitentiæ fructu, seu sanctimoniâ vitæ, illi necessario damnantur, nec possunt pervenire ad salutem. Atqvi eos, qui electi non sunt, &c. Ergò.

XVI.

Nos cum *Minorem* in hoc argumento negemus, falsæ hypothese de *inaquali gratiâ* vocationis, in *internam seu efficacem & externam seu inefficacem* distinctâ, superstructam; omnes nervos intendunt Calviniani, ut hypothesein hanc suam probent.

XVII.

Probant (1.) exemplo *Chorazitarum & Bethsaidensium*, quos Christus verbo externo, non gratiâ interna & sufficiente vocavit, *Matth. XI, 21*. Sed respondemus invertendo, gratiâ omninò sufficiente vocatos fuisse. Si enim eadem convertendis *Tyriis & Sidoniis* suffecisset, quomodo insufficientem *Chorazitis & Bethsaidensibus*, quibus præ illis *superabundans* adhuc gratia accesserat, dicemus?

XIX.

Probant (2.) ex *Matth. XIII, 11*. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum; illis autem non est datum*. Sed respondemus distinguendo inter *finium varietatem & auditorum diversitatem*. Non illam, sed hanc Christus monstrat; adeoq; vitium non in organo sed in *subjecto* notatur. Et *τὸ ἴνα* in parallelo *Luc. IX, 18*. non *αἰτιολογικῶς* sed *ἐκβατικῶς* accipiendum.

XIX.

Probant (3.) ex *2. Cor. II, 16*. *Evangelium multis odor mortis ad mortem*. Sed respondemus distinguendo inter id, quod Evangelio proprium, & quod ei adventitium est. Non est hoc proprium Evangelio, ut sit odor mortis ad mortem; sed adventitium, vitio hominum verbo Dei se opponentium *Act. XIII, 46*. Proprium ei est, ut sit potentia ad salutem, *Rom. I, 16*.

XX.

Probant (4.) ex *Matth. XI, 25*. quia Christus gratias agit Patri, quod verbum quibusdam occulset, idq; ei complaceat. Sed respondemus, committi fallaciam compositionis. Neq; enim *idoxia* Patris celebrata, neq; gratiarum actio ad sapientium mundi cæcitatem, sed ad simpliciorum fidem referenda, & sensus est: *Gratias ago tibi, Pater, quod cum absconderis, mysteria verbi tui sapientibus hujus sæculi, tamen ea revelasti gratiosè simplicibus*.

